

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Instabilitas g cum uariis

Nec peregrinatione longa, nec locorum uarietatibus tristiciam mentis grauitatemque discucies. Animum debes mutare non celum. Licet uastum traieceris mare. Sequntur te quocumque perueneris uicia. Quid miraris nil tibi peregrinationes prodesse cum te circumferas? Premitt te eadem causa que expulit. Quid terrarum iuuare nouitas potest? Quid cognitio urbium aut locorum? in irritum cedit ista iactatio. Honus animi deponendum est; non ante tibi ullus placebit locus. Vadis huc illuc, non excusias insides pondus quod ipsa iactatione incommodius fit, sicut in naui honera immota minus urgent, inequaliter conuoluta cicius eam partem in quam incumbere demergunt. Motu ipso tibi noces. Egrum enim concutis. In ultimas expelleris terras. Magis quis ueneris quam quo interest. Bene uiuere omni loco positum est.

Seneca in epistola.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

Instabilitas g] Instabilitas h P V¹ V² L¹ L²; tristiciam] tristitia P V¹; discucies] discutiens P V¹ V²; traieceris] traiecaris C; mare] mari (*cor. intra*) C; sequntur] scuntur (*cor. in marg.*) M, enim *add.* P V¹ V² L¹ L²; nil *om.* P V¹ V² L¹ L²; peregrinationes] non *add.* V² L¹ L²; premit te] praemitt B L¹ L²; iuuare] inare (*cor. in marg.*) M; iactatio] iactantia P V¹ V² L¹ L²; huc] et *add.* P V¹ V² L¹ L²; non] nisi P V¹ V² L¹ L²; excusias] excusas (*cor. supra lin.*) M; fit] sit P V¹ V² L¹ L²; sicut in naui] sic in uia P V¹ V² L¹ L²; naui] nauit (*cor. sub lin.*) B; cicius] tutus P V¹, tutius V² L¹ L²; noces] voces P V¹ V² L¹ L²; expelleris] expellis P V¹ V² L¹ L²; quis] qui L²